FIRENZE
1084
25

1084.25

A

1084

# AMNON
# TRAGOEDIA
## SACRA.

Autore
R^do^.Domino D. IACOBO CORNELIO
LVMMENÆO à MARCA.




BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

GANDAVI
Apud Cornelium Marium, ad interſig.
dulciſſ. nominis IESV.
cIↄ. Iↄc XVII.

# AMPLISSIMO VIRO DOMINO D. DIONYSIO VILLERIO

*Tornacenſis Eccleſiæ Cancellario &c. Domino meo.*

AMNONEM Tragœdiam in cothurnis ad te mitto. Luculentum argumentum eſt, & quod mereatur plauſtris in ſcenam vehi Multis hîc in orchæſtra exhibitum lacrymas elicuit, cordolium prouocauit, cõſiderãtibus dubias Regum vices, *Amnonis* furias, & *Thamaræ* luctum veluti in pergula ſpectantibus, quam impius frater

violento incæſtu oppreſſit. Æqui boniq́ue conſule Ampliſſime Vir, & permitte mihi, vt te amare & colere poſſim, cuius potiſſimum auſpicijs hanc ederã debeo, quam in Parnaſſo legi. Gandaui è monte Blandinio, 14. Calend. Maij anno 1617.

Veſtræ Amplitudinis
Seruus in Chriſto

IACOBVS CORNELIVS LVMMENÆVS
à Marca Sacerdos.

# APPROBATIO.

LEGI *hanc Tragœdiam Sacram, Amnonem Reuerendi Domini* D. IACOBI CORNELII LVMMENÆI à MARCA. *Imprimi poterit. Sic atteſtor hac 6. Aprilis* 1617.

Guilielmus Arents Pœnit: Gand. L. C.

ARGV-

# ARGVMENTVM.

AMNON *Dauidis* filius, fœdâ libidine inſtinctus, Sororem Thamaram inceſto raptu polluit, & ludibrio habitam, abiectamque foribus eliminat. Illa verò multùm queribunda Abſalomo fratri iniuriam narrat, & ferocem alioquin Iuuenem lacrymis ſuis magis magiſque prouocat, vt facinoris inſolentiam puniat; Abſalomus itaque Amnonem ſubdolâ machinatione ad epulas euocatum, & porro temulentum ſicarijs objicit, & multis vulneribus confectum obtruncat; luget Reiga, & impio in funere pij Regis lacrymis leſſum iungit, & tragœdiam claudit.

## *Perſonarum nomina.*

| | |
|---|---|
| AMNON. | DAVID. |
| THAMARA. | IONADABVS. |
| NVTRIX. | NVNCIVS. |
| ABSALOMVS. | CHORVS. |

ACTVS

# ACTVS PRIMI

## Scena Prima.

### AMNON.

ADSVM, *cubile languidum, & mœſtum larem*
*Pertæſus & fæcunda curarum atria.*
*Thamara dolorem miſcet ; ah ! nequeo miſer;*
*Thamara furorẽ inflãmat, & me faſcino*
*Occidit; ille riſus & formæ lepos,*
*Ille nitor, illa gratia & vernus decor ,*
*Illæ æmulantes purpuram & roſas genæ,*
*Oculiq́; vinctæq́; aureo mundo comæ,*
*Et quicquid ægro triſte cordolium facit .*
*Thamara ! quid iterum inſanio? excedat furor;*
*Non poſſum, amoris vulnus in venis alo,*
*Et carpor igni, qualis Inferno ſonat,*
*Stridentis ollæ ergaſtulo & cingit reos:*
*Abominatis qualis in Sodomis ſtetit,*
*Et ſtabit vſq́; putrido ſtillans vado:*
*Aut qualis ille pollices Lotho ſatas*
*Poſt fulmina atra, & tabidam cæli luem*
*Flammæ impotentes ebrio immiſit Patri.*
*Quali Sichemus Rector in Dinâ perit:*
*Qualis nepotes Beniaminios rotat,*
*Et hoſpitam ardent fœminam noxæ dati.*
*Horreſco referens, nec libet genio ſatis*
*Vlcus alienum ſcabere, cum tumuit meum ,*
*Et tabe preſſâ, more diri canceris ,*
*Serpit per artus; ſcilicet nullum eſt ſuper*
*Lenimem ægro pectori, & buſto calet,*
*Et vſq́; & vſq́; buſto inexpletum calet.*

*Ergo ſepultus viuo, & hic manes meos*
*Lugere poſſum, nemo ſic viuit tamen,*
*Quem nulla vel ſuſpiria aut gemitus leuant.*
*Thamara! quid obſtas? ſola me Thamar iuuat,*
*Et obſerati pectoris claues habet.*
*Succurre Thamar, ſpiritus tenues eunt.*
*Ah! quid moraris? ſi mihi vitam negas,*
*Suſpirioſi pectoris follem exprimam,*
*Hauſtoq; gemitu pedibus accumbam tuis.*
*Miſerere Thamar! ſola tu ærumnas meas*
*Interpolare, ſola tu flammam potes*
*Sopire, læſi pectoris viuam facem,*
*Et quicquid imis æſtuat præcordiis.*
*Excede peſtis, aduoca mentem miſer,*
*Compeſce Erynnes, ſi quis in mundo eſt pudor,*
*Arce pudendum crimen, & fræna impetum.*
*Germana Thamar fratris vt thorum impleat?*
*Vt miſceat connubio inceſtum meo?*
*O ſancta probitas! Virginem vt ſtupro occupem?*
*Frater ſororem? fulmine hic ſternat prius,*
*Et me rubente dextera feriat Deus,*
*Aut terra mihi dehiſcat, & me differant*
*Orco immolatam victimam inferna canes,*
*Ante pudor, ante iura quam violem tua,*
*Legemq; magnæ Matris & fas & Deum.*
*Sed quid repugnas improbe? ah! fruſtra pius,*
*Fruſtra ſeuerus diſputas; video ſatis*
*Meliora & æquus comprobo, ſequor tamen*
*Deterius aliquid ſemper, & labem, & nefas,*
*Et quo profana cumq; me lactat Venus.*
*Res dura Venus eſt, cum iuuentâ & ocio*
*Virent medullæ, & tabe crudeli ſcatent.*
*Tunc cum furorem ſerua libertas fouet,*
*Et paſcit ægrum vulnus, & curas alit*
*Semper recentes, nulla depreſſum leuat*
*Panaræa morbum, penitus inuadit fibras,*
*Atq; vbi peredit, ſequitur Inferno comes,*
*Lentoq; paſſu lugubres campos obit.*
*Heu cæca rabies! heu mihi! perij miſer,*

*Et re-*

*Et reſtat aliquid ſemper in manes meos.*
*Vt vidi,vt æger occidi, vt malus furor*
*Abſtulit amantem ! perdidit fratrem Soror,*
*Nutuq; ocelli,cuſpide & iaculo magis*
*Strictim & potenter cordis effodit ſinum,*
*Vitamq; penitus,ſanguinemq; hauſit meum.*
*Nunc morior,addet næniam tumulo Pater,*
*Tibicineſq; & præficas,& ordine*
*Longo cupreſſos manibus ſtatuet meis.*
*At forte Thamar lacrymas olim dabit,*
*Largumq; deflens imbuet buſti ſitum.*
*Quam tunc cubabo molliter ! quantum oſſibus*
*Et deteretur pectori virus meo ,*
*Quod nunc in orbem ſæuit ! infelix amor ,*
*Quo nec potiri facile,nec iuſtum eſt mihi!*
*Quocunq; vergit animus,in curas redit ,*
*Quocumq; nutant lumina,implentur ſinus,*
*Puriq; Soles non magis lucent mihi,*
*Vt noctem opacam miſcuit cæcus puer,*
*Et torua Erynnis fumidam extinxit facem*
*In pectore iſto luridam inuoluens ſtygem.*
*Sed cur querelas diuido in ventum meas?*
*Nec flammam in auras diſſipo? ô malum ! ô dolor*
*Pungentis œſtri,qui mihi torquet iecur !*
*Thamara!quid obſtas?qui mihi cumq; eſt labor,*
*Expreſſus ægro viſcerum ſuſpirio*
*In te redundat,terge formoſâ manu*
*Tabem perennem,detere hanc peſtem fibris,*
*Expelle Erynnem,vulnus hoc,quantum patet,*
*Tibi relictum eſt;ô Dea! ô ſidus meum!*
*Thamara !quid obſtas?Thamara! ô fatum meum*
*Crudele ! morior !morior! & nunquam,tuis*
*Si non ab oculis,vlla me adſpiciet ſalus.*

Chorus.

## Chorus.

*NOn tot vario gurgite motus*
*Euripus agit, nec tot calidis*
*Ludit arenis Barbara Syrtis;*
*Non tot laues torquet ab vndis*
*Amphitrute cærula conchas,*
*Non tot pictos Methymna legit*
*Fœta racemos, non tot grauidos*
*Gargara culmos, quot demerſo*
*Pectore curas, longâ nexas*
*Vſq; catenâ, vel quot penitus*
*Crudelis amor vulnera miſcet.*
*Fruſtra placidos carpere ſomnos*
*Et lethæo gurgite tentat*
*Semper vigiles mergere tædas,*
*Si quem Paphius læſerit Arcu,*
*Non inuita Cypride, pullus.*
*Cum nocturnis aurea bigis*
*Delia cæcas temperat vmbras*
*Et vaga paſſim ſidera fulgent,*
*Numerat longas tetricus horas,*
*Et, ſolicito nixus cubito*
*Suſpirando viſcera rumpit,*
*Tunc, cum nitido lutea vultu*
*Noctem & ſtellas occupat Eos*
*Spargitque roſas, deſerit ægri*
*Tædia lecti, neſcitq; miſer,*
*Quod nuſquam auidas vitat Erynnes,*
*Inteſtino deditus hoſti.*
*Nulla eſt lento panacæa malo,*
*Et perpetuo carpitur igni,*
*Quiſquis vetitos arſit amores:*
*Quamuis Tyrio fulgeat oſtro,*
*Et regali fretus lituo*
*Scribat populis iura ſub actis,*
*Ipſe æternâ compede vinctus*

*Mollis pueri victima, noxæ*
*Deditus, vdâ vilior algâ,*
*Importuno ſeruit amori.*
*Ridet, lacrymat, ſperat, metuit,*
*Æſtuat, horret, torpet, anhelat,*
*Rapitur, trahitur, figitur, hæret:*
*Vt dura ſilex, aut quæ tumidis*
*Extat ſcopulis arida cautes:*
*Audet, trepidat, buxoq́; magis*
*Pallidus iterum vota remittit,*
*Semperq́; aliquid moret, & horret,*
*Qui piſtrino cogitur iſto.*
*Heu! quam mallet voluere ſaxum,*
*Aut præcipiti reſtare rotæ,*
*Vrgere cauam protinus vrnam,*
*Inconſumptum præſtare iecur*
*Miluo, aut aquilæ ſemper hianti,*
*Tauri gelidâ rupe ligatus.*
*Aut ſi flammis omnia debet,*
*Mallet Siculos inter cineres,*
*Late grauidâ conditus Ætnâ*
*Spirare olidos vſq́; caminos*
*Et ſulfureas voluere tædas.*
*Quid te curis fruſtra maceras?*
*Quid te exagitas nobilis Amnon?*
*Quis tibi vultum contrahit horror?*
*Ah! cur teneri ſtillant oculi,*
*Aut quis lacrymas concitat iſtas?*
*Dirum eſt aliquid, quodcumque doles,*
*Quod te centro pectoris vrit,*
*Quod nec flendo lenire queas,*
*Quamuis largo fonte madeſcens*
*Totam haurires pectoris vrnam.*
*Nunquam lacrymis ſatiatur amor,*
*Etſi Oceano mergere tentes,*
*Nunquam labem diluis iſtam.*
*Heu me! vbi lepidæ forma iuuentæ,*
*Hilariq́; oculi, roſeæq́; genæ,*
*Et quæ te olim fingere pulcrum*

*Succo poterat lactea pubes?*
*Omnia dirus conſumpſit amor,*
*Et crudeli tabe peredit.*
*Non iam trepidos figere ceruos,*
*Ne vacat altum luſtrare nemus,*
*Qua frondoſas implexa comas*
*Berſaba veteres arrigit ornos,*
*Non quadriiugos flectere currus,*
*Non difficiles radere metas,*
*Non & pariles ſtringere caſtus,*
*Non baleares vertere fundas,*
*Aut pancraticos cogere nexus.*
*Nec dulciſonæ carmina citharæ*
*Lenimen habent, aut grata lyræ*
*Murmura poſſunt ducere ſomnos.*
*Inter lacrymas muſica luget,*
*Etſi implacidas occupet aures,*
*Tetrica ſurdo fabula ſtridet.*
*Omnia vincit crudelis amor,*
*Et ſperando vulnera nutrit.*
*Iacob timidæ Matris alumnus,*
*Iuſſus patrium mutare ſolum,*
*Et diuerſas quærere terras,*
*Conſanguineâ Rachele calet,*
*Et connubij tempora pactus*
*Septem lentas tranſigit hyemes,*
*Tum moroſi fraude Labani*
*Iterum longos deuorat annos,*
*Lectæ thalamum virginis ardens.*
*Sampſon valido robore fortis,*
*Cui ludus erat cominus vrſos*
*Stringere, & auidos ſternere ſcimnos,*
*Aut mandibulâ cadere denſos*
*Protinus hoſtes; vni potuit*
*Cedere culpæ, blandéq; ſinu*
*Bellicis ægros merſit ocellos.*
*Illa arcanum radere crinem,*
*Et ſecreta forficis auſu*
*Cincinnatam verrere caluam.*

*Quid*

*Quid tunc animi, quid mentis erat*
*Inclyte Sampſon? cum te longâ*
*Compede nexum, multa querentem,*
*Et conantem plurima fruſtrà,*
*Garrula pellex prodidit hoſti?*
*Ter conatus ſoluere reſtem,*
*Ter commiſſos vndiq; neruos;*
*Ter fæmineum ludere furtum;*
*Semper caſſo robore fleuit.*
*Omnia vincit crudelis Amor,*
*Et nos tenero Marte triumphat,*
*Vnâ pictæ cuſpide pharetræ,*
*Vno iaculi vulnere fixos,*
*Oeſtri volucris forcipe læſos,*
*Quod ſub medio pectore ſtridet.*
*Omnia vincit crudelis Amor,*
*Et nos puero cedere iuſtum eſt,*
*Qui nos vno faſcinat oculo,*
*Nec ſemper eget cuſpide & arcu,*
*Vt nos penitus figere poſſit.*
*Omnia vincit crudelis Amor:*
*Vos inuicto cedite Pullo*
*Verni Iuuenes, quos flore nouo*
*Pœne inueſtis ſoſpitat ætas.*
*Fugite ô pueri, lubrica ſerpens*
*Inter virides ſibilat herbas,*
*Et damnoſum virus anhelat.*
*Si quem rapido ſtrinxerit hamo,*
*Sæpe indignos flebit amores,*
*Alto nimium vulnere fixus,*
*Et crudeli ſaucius œſtro,*
*Quod ſub teneras vſq; medullas*
*Intima carpens, ſugit vegetos*
*Vndiq; lumbos, & nos certo*
*Deſtinat Orco.*

# ACTVS II.

## Thamar, Nutrix, Abſalomus.

O Facinus! heu me! vindicem teſtor Deum!
O ſancta probitas! O pudor! ſi vnquam tibi
Caſto litaui pectore, & niueâ fide.
Crudelis Amnon! O mihi inuiſum nimis
Nomen, caputq́; ! mille quod diris ſatis
Nunquam agere poſſum, mille diris nequius.
Nunc fugio, mecum languor, & mecum dolor,
Et ſera pœnitentia, & curæ graues,
Et quicquid ægri pectoris ſtringit fibras.
Cætera profanus abſtulit prædo mihi,
Florem iuuentæ, fibulam, & caſtum, & roſas
Verni pudoris, &, quod horreſco loqui,
Crudele ſpolium Veneris inceſtæ nimis.
Hei miſera Thamar! Regiæ ſtirpis probrum,
Et pudor auitæ gentis, & Patriæ lues!
Quo me doloris ſæua tempeſtas rapit?
Nutrix Compeſce alumna mentis effrenæ impetum,
Collige furorem, quis tibi nocuit Deus?
Quis ſiderauit? Thamar: O mihi carum caput!
Nutrix. An fallor? an me ſomnio ludit dolor?
Vnde hic ocellis luror, & macies genis,
Ruptæq́; nudo vertice, & laceræ comæ?
Alumna, quis te læſit? aut tantum cui
Miſeranda de te licuit? O nata! O decus
Regale noſtrum! ô Virgo! Thamar. Quid me ſaucias?
Nutrix. Thamar! quis ægrimoniæ cauſſam dedit,
Tantumq́; inuſſit pectori vulnus tuo?
Effare Virgo. Thamar: Lædis iterum? Nutrix. ſcilicet
Ego dolorem miſcui, & noxæ caput
Hoc dedo, ſed quo crimine? Thamar. Auerte obſecro
Supplicia, remoue dexteram: Nutrix. Indulge prius.
Thamar. Quis

Thamar. *Quis noxiam te ſtatuit?* Nutrix*: indulge mihi,*
*Per virginalem hanc purpuram.* Thamar*: occidis quoq;?*
Nutrix.*Perij! quid obſtas? per decentem hanc purpuram,*
*Et virginales fimbrias.*Thamar.*iterum ferit,*
*Et neſcit, heu me! neſcit! hoc olim fui,*
*Et virginalis purpura hæc olim fuit,*
*Et virginales fimbriæ, & virgo Thamar,*
*Nunc mulier! illâ dote me inceſtus tulit,*
*Diramq; inuſſit corpori labem meo.*
*Et ecce frater Abſalom prodit meus,*
*Frater vterinus Abſalom, quis me leui*
*Corripiat aurâ, turbines inter, Deus,*
*Et ſtatuat, vbi me ſolus accuſet pudor,*
*Tacitaſq; conſcientiæ pœnas luam?*
*Nec conſcius ſit Abſalom, & Abſalom*
*Non erubeſcat, Abſalom frater meus?*
Abſalom. *Quis hic tumultus? fare, quid rerũ eſt ſoror?*
Thamar. *Per hanc ego te dexteram.* Abſalom.*fratrem rogas?*
Thamar.*Per has ego te lacrymas.*Abſalom.*fare, impera:*
Thamar. *Per has ego te lacrymas.*Abſalom.*cur non iubes?*
Thamar.*Miſerere.* Abſalom.*quid vis miſera?* Thamar. *ſic rectè vocas,*
*Miſerere frater:*Abſalom.*cur tibi madent genæ?*
Thamar.*Ignoſce frater.* Abſalom *: parturit magnum hæc malum,*
*Et neſcio quid pectore obſtipo gerat,*
*Dirum aliquid, vt nunc ſuſpicor; fare ocyus*
*Germana, quid me voce perplexâ tenes?*
Thamar. *Lugere primum liceat, & conſumere*
*Luctum recentem.* Abſalom. *lacrymis olim vacat,*
*Nunc prome curam.*Thamar.*: frater!* Abſal. *abrumpe ocyus,*
*Quid me dolore incendis?*Thamar.*ah! pudet loqui,*
*Et, ne quid vltra miſceam; ah! tædet nimis!*
*Et, ne quid vltra miſceam; ah! tædet nimis!*

Abſalom.

Abſalom. *Quid me enecas Germana* ?Thamar.*permitte obſecro.*
*Silere, tantum lacrymas terge meas,*
*Et ne pudorem prouoca*. Abſalom.*quid [illegible] mali eſt?*
*Opem rogat, deplorat, exorat, ſtupet,*
*Quod vult loqui, non audet, & ſemper cupit*
*Cælare quod vult eloqui, & pugnat ſibi.*
*Germana quid me poſtulas*?Thamar: *fidem tuam*
*Imploro.* Abſalom.*loquere.* Thamar. *non ſatis poſſum tamen*
Abſal. *Conare ſaltem*.Thamar:*frater*! Abſalom : *amplexum amoue,*
*Nihil horum egemus*,Thamar:*parce.* Abſalom. *collapſa eſt, iacet.*
*Germana ! ſidus vnicum & decus meum,*
*Germana Thamar* !Thamar:*Abſalom*! Abſalom : *rurſus dolet,*
*Et me querelis vrget, ac vellit comam.*
Thamar.*Cur non licebat emori? ô fatum! ô pudor!*
*Cur non licebat* ?Abſal:*fare,quid rurſum tegis?*
Thamar. *Sepelire curam.* Abſal *prome,lenimen dabo.*
Thamar. *Vis ipſa morbi ſuperat & gaudet tegi.*
Abſalom : *Quid me occupas inſaniis ? rurſum iacet* .
Tham: *Crudelis Amnón*! Abſalom : *Tetigit.* Tham : *Atrox, impie,*
*Inceſte, abominabilis ſemper mihi !*
*Amnon* ! *Iuuentæ carnifex turpis meæ* !
Abſalom:*Frater*?Tham: *Tacere liceat* :Abſal : *& rurſum implicas.*
Thamar:*Frater pudorem rapuit inceſtus meum.*
Abſal. *Frater? Sorori Virgini*?Thamar:*Parce obſecro.*
Abſal:*Amnon Thamaræ noxiam? & potuit ferus,*
*Et potuit? Amnon Virgini ſtuprum intulit?*
*Amnon? Sorori Virgini? & luſit tuo*
*Raptor pudore? ſpectat hoc, ſpectat Deus,*
*Et parcit igni? fulmina & nimbos tenet?*
*Sed nunquid hic inultus vt flebo puer,*
*Et ille diri ſceleris & ſtupri ſatur*
*Nos in triumpho Veneris ad pompam trahet?*

*Nunc*

*Nunc viribus opus Abſalom, animis opus?*
*Exempla dabimus, venit in ſcenam prior.*
*Tu colli ge iſtam Mater.* Tham: *Occide obſecro,*
*Cui me reſeruas? Abſalom!* Abſal: *Doma impetum,*
*Et temet in partem aduoca, noxâ caret*
*Extortus & depaſtus inuita pudor.* !
Thamar: *Conſule pudori.* Abſalom: *Tempera luctum Soror,*
*Non inquietum ſæpe lenitur malum.*

## Chorus.

*QVis hunc tumultum turbat? ah! ringit, dolet;*
*Æſtuat inexpletum Abſalom, ſæuit quoq;,*
*Et temperare non poteſt animo ſatis.*
*Neſcio quid intus agitet, hoc ſcio tamen,*
*Quòd ille vultus igneus ſpirat minas,*
*Nec ardet aliquid languidum: Regum dolor*
*Licentiâ nutritur, & prægnans nocet.*
*Thamara laceros effuſa ſinus,*
*Et vulſa genas, & tonſa comas;*
*Ah! virgineas nuda papillas*
*Fratrem tumidâ ſuſcitat irâ,*
*Et ſe curis macerat ægris.*
*Luget totas anxia noctes,*
*Et ſe calidis explet lacrymis.*
*Stridulus æquat curam Aſcalaphus,*
*Et reſpondet carmine diro*
*Solo tecti culmine ſidens.*
*Gaudet tenebris aliturq; dolor,*
*Et ſe exercet noctis in vmbrâ,*
*Quando alituum, pecudumq; genus*
*Grato indulgent corpora ſomno*
*Cum mutus ager maret, & vdo*
*Colligit artus bucula campo,*
*Aut pallentes ruminat herbas*
*Cum furtiuos laſciua choros*
*Delia Latmomonte frequent*

*Et ſuſpenſa lampade reſtat.*
*Tunc in pullo ſyrmate nigris*
*Tincta venenis lurida macies*
*Omnia culpat, longumq́; furens*
*Crudele ſolum, crudele ſalum,*
*Et crudeleis etiam Superos*
*Oris nimium libera clamat.*
*Fruſtra rutilo ſternitur oſtro,*
*Fruſtra roſeos ſpirat odores*
*Lectica mali fœta laboris,*
*Et tot lacrymis ebria ſemper.*
*Gliſcit miſeros flamma per artus*
*Semperq́; nouo vulnere ſtridet*
*Altè virides paſta medullas.*
*At non gaudet paupere tecto*
*Lugubris Ate, luctuq́; fero*
*Regum tumidas obſidet arces.*
*Ibi purpureos ſcandit thalamos*
*Inter medias ſæua cohortes,*
*Et tot vigiles vndiq́; peltas;*
*Mox Tenareis horrida tædis*
*Nubilat vmbrâ triſte lacunar,*
*Et tetra nimis ſomnia ſpargit.*
*Ludit vacuo phaſma cerebro,*
*Et per noctem cura recurſans*
*Pectora Regum lancinat œſtro.*
*Tunc cum nitidum mane feneſtras*
*Intrat, & almo Lucifer ortu*
*Phœbi rutilos prouocat ignes,*
*Vrget miſeros, paſſumq́; æquans*
*Hæret lateri damnoſa comes,*
*Et per mediam voluitur aulam.*
*Aſſidet altis inuiſa thoris,*
*Tractatq́; dapes, crudamq́; nimis*
*Latis aloën ſtipat cyathis,*
*Turbatq́; hilara gaudia menſa.*
*Nec timet ipſos impia faſces,*
*Et ſuggeſtum ſcandere velox*
*Iuſto arbitrio toxica miſcet.*

Erge

*Ergo auſpiciis omnibus inſtat*
*Semper noſtris æmula votis,*
*Et nos vario turbine verſat.*
*Fœlix animi, qui ſecuris*
*Ludit in hortis, interq́; roſas,*
*Et virginei lilia campi*
*Vitæ integros exigit annos.*
*Ille innocui candidus animi,*
*Propter gelidæ frigora lymphæ,*
*Lætâ ſtreperi fontis in vmbrâ*
*Curas alacer diſſipat omnes,*
*Etſi incocti fellis inhæſit*
*Aliquid, lepido carmine ſoluens,*
*Importunas turbat Erynnes.*
*Non ille graues verno accubitu*
*Colligit amens intemperías,*
*Nec ſuo in oſtro lurida ſentit*
*Interrupti tædia ſomni.*
*Quid tamen iſto murice viuum,*
*Pictumq́; magis, vel quæ talis*
*Purpura Regum, quamuis Tyrio*
*Lotæ recenter ſanguine ſtillet,*
*Et Sidoniâ bis tincta manu*
*Vernet puris æmula violis?*
*Tunc vt aprico gramine ſurgit*
*Numerat denſas ordine corylos,*
*Aut innectit vitibus vlmos,*
*Aut eduras inſerit aptè*
*Subigitq́; pyros, aut inducit*
*Muſco viridi fontibus vmbras,*
*Aut in tonſâ vinctus oliuâ*
*Spectat timidas errare boues,*
*Aut diſtentas lacte capellas,*
*Aut compulſas miratur apes*
*Miſcere vago prælia ludo.*
*Mox ſub patulæ tegmine fagi,*

 *Cum*

*Cum ſol rapidos ſtrinxerit æſtus,*
*Gremio teneros colligit Agnos,*
*Aut ſub calidi ſidere Cancri*
*Spoliat niueo vellere Matres.*
*Fœlix iterum, qui ſub tuguri*
*Tegmine raro, Regum tumidas*
*Deridet opes, & ſe propria*
*Virtute tegit, ſperatq́ nihil,*
*Metuitque nihil, nec felle nigro*
*Dolet alterius rebus opimis,*
*Et ſua tantùm commoda ſpectat.*
*Quis ille vultu tumidus orchæſtram quatit?*
*An fallor? ore liuido, inceſſu vago*
*Meditatur iras Abſalom; prægnans malũ eſt.*

## ACTVS III.

### Abſalom.

FRAENARE non poſſum impetum, iuſtius dolor
*Vrit medullas penitus & bilem coquit.*
*Hinc pectus igni flagrat, & flagrant genæ,*
*Et ore toto fellis apparent notæ.*
*Crudelis Amnon! pullus Inferni! ſcelus!*
*Heu! innocentum Virginum prædo nocens,*
*Dirarum alumnus, caute peregrina ſatus!*
*Egregia vero ſpolia funeſtus tulit,*
*Caſtum ſororis, fibulam, & laceras comas,*
*Captæ puellæ lacrymas, & languida*
*Suſpiria, & quæ caſtus abrumpit labor,*
*Lamenta, quæſtus, & verecundas preces,*
*Et quicquid vltra ſuadet aut cogit dolor.*
*Dabimus ſorori victimam, inueni modum,*
*Et dabimus Orco, poſcit Infernus reum,*

*Diri architectum ſceleris;inueni popam,*
*Qui fodicet enſe latera,qui ſternat ſacrum ,*
*Et iugulum hiulcans ſanguinem late exprimat,*
*Et impiato polluat tabo manus.*
*Crudelis Amnon! Impie,inteſtabilis,*
*Leno ſororis,ſtemmatis noſtri lues!*
*Dabitur quod optas.ſanguine implebo ſitim,*
*Et prurientes cæde præuertam manus.*
*Nam poſt ſtuprum ſororis,exiguum eſt tibi*
*Haurire iugulum Fratris,& capite meo*
*Ludere;cruenta belua! ingrediar priùs,*
*Diramq; arenam ſanguine inſpergam tuo.*
*Quo me rapit Megæra? ſupplicium luet ,*
*Nec dextera Regum cadet,ſicariis*
*Deuotus,atque ergaſtulis,patriæ latro.*
*Non purpura illum,aut floridum trabeæ decus*
*Non vlla Fratrum gratia,aut meritum Patris*
*Eripere poſſunt,nobiles pœnas dabit ,*
*Et ſanguine atro diluet ſtupri nefas,*
*Si tanta labes dilui à quoquam poteſt :*
*Nam plura debet: different truncum canes,*
*Et tabe dira vultures ſternent agros,*
*Et ſacer erit,quencumq; fœdarit,locus.*
*Ergo agite pugiles, cum meraco languidus*
*Nutabit Amnon,vulnere inflicto cadat ,*
*Haurite cæſim latera;quid pallor genas*
*Occupat,& oſſa gelidus incurſat pauor?*
*Haurite penitus,ſternite,inſtabo ſuper ,*
*Et deui antem ſpiritum calce exprimam.*
Famuli.*Paremus alacres, Abſalom mandat ſcelus.*

Chorus.

## Chorus.

NON ſic hiſpidus imber
*Inter nubila ſtridet,*
*Quando dira coruſco*
*Vis libramine iactat*
*Illatabile fulmen:*
*Non ſic Ætna remugit*
*Tortis horrida ſaxis,*
*Cum ſpirantibus Euris*
*Flammam ſulfura lambunt,*
*Et tot follibus hauſtis*
*Tetros aura caminos*
*Inter ſaxa volutat:*
*Non ſic Barbara Tethys*
*Totis murmurat vndis,*
*Et cana æquora pulſat;*
*Aut ſurdis Catadupis*
*Nilus rector aquarum*
*Præceps omnia turbat:*
*Non ſic ardua Sine*
*Vaſtum mugijt olim,*
*Cum diuina ſub auras*
*Latè Buccina clanxit;*
*Cum fumantibus vmbris*
*Montem cingeret horror,*
*Cum ſub numine tanto*
*Rupes ſcabra dehiſcens,*
*Longo fracta tonitru*
*Crebros volueret ignes.*
*Quid nunc omnia dicam*
*Vel quæ lurida terrent,*
*Aut inondita ſtrident?*
*Non ſic latrat in Orco*

*Nigros*

*Nigros paſta colubros*
*Torui belua rictus,*
*Cuſtos lugubris aulæ:*
*Non ſic Eumenis atris*
*Centum ſibilat hydris,*
*Vt qui bile refuſâ*
*Laxat fræna dolori,*
*Et non continet æſtum.*
*Quiſquis pauerit iſtam*
*Nudo pectore flammam,*
*Diro vulnere feruet.*
*Clamat, ringitur, ardet,*
*Frendet, ſæuit, anhelat,*
*Et ſe diſſecat amens,*
*Et tot vermina cordis*
*Tetris motibus explet.*
*Nulli parcit Erynnis,*
*Et fœcunda veneni*
*Cunis pœnè ſub ipſis*
*Vel collactea diro*
*Tingit viſcera tabo,*
*Et ſerpentibus implet.*
*Nempe & ſæpe bonorum*
*Rara eſt gratia Fratrum,*
*Et Germana ſuauè*
*Rarò baſia ſpirant.*
*Cain primus acerbos*
*Tinxit ſanguine cultros,*
*Et fraterna cruentus*
*Hauſit viſcera prædo,*
*Durâ durior orno,*
*Sæuo ſæuior hydro,*
*Longo funere dignus,*
*Et tabeſcere longùm*
*Semper vulnere crudo.*
*Nondum viderat auras,*

*Et commiſſa gemello*
*Eſau prælia tentat,*
*Et crudelis anhelam*
*Scindit vipera matrem*
*Diro noxia morſu.*
*Tum præuentus ab ipſo,*
*Cum venabula iactat,*
*Et ſe exercet in agro,*
*Iuſſus ſubdere collum &*
*Sceptri iura paterni,*
*Fruſtra liuidus ira*
*Fratrem deſtinat vmbris:*
*Et iam figeret œſtrum,*
*Et per viſcera nudos*
*Sæuus cogeret enſes,*
*Si non abditus eſſet,*
*Et celante Rebecca*
*Tutis protinus Huris*
*Carus degeret hoſpes.*
*Nempe & caſtus Ioſeph,*
*Dulces inter ephœbos*
*Longe dulcior vnus,*
*Et vere aurea proles,*
*Fratrum iurgia paſſus,*
*Bullæ tegmine nudus,*
*Atq; inſignibus almis,*
*Tetro mœret in antro,*
*Et ſuſpiria ducit*
*Patri flebilis infans;*
*Illi fraudibus apti,*
*Tingunt ſanguine lænam,*
*Obtruduntq; Parenti,*
*Si fors noſceret illam,*
*Bruto ſanguine miſtam.*
*Ille affectibus ardet,*
*Tractat, vellicat, horret,*

*Atq;*

*Atq; illacrymat amens,*
*Et ſe funere acerbo*
*Longos macerat annos.*
*Sed trux Abimelechus,*
*Sæuo barbarus auſu,*
*Fratres enecat omnes,*
*Septemq; ordine denos*
*Saxi in margine cædit,*
*Atq; aſpergine ſalſa*
*Triſtes lubricat herbas.*
*Iephte nobilis heros,*
*Tantùm obnoxius vni,*
*Prudens cætera, culpæ,*
*Fratres vitat acerbos,*
*Mox verſo ordine rerum,*
*Sæpe & ſæpe vocatus*
*Regni ſumit habenas,*
*Dignus faſcibus illis,*
*Et geſtamine claro.*
*Dauid maximus inter*
*Magnos vndiq; Reges,*
*Prima pube vireſcens,*
*Intra caſtra repertus,*
*Duræ verbere linguæ*
*Fratri vapulat ægro*
*Iuſſus paſcere tauros,*
*Et compellere hibiſco*
*Hœdos vbera tentos.*
*Sed non attinet omnes*
*Rerum voluere faſtos,*
*Et ſat credimus omnes,*
*Quam ſit rara bonorum*
*Semper gratia fratrum.*
*Tunc maiora videbunt*
*Noſtri exempla nepotes,*
*Cum ſuccreuerit ætas*

*Toto Martia ferro,*
*Ferro durior ipſo.*
*Tunc exercitus horrens*
*Pictis ſtabit in armis,*
*Atque in mutua fratres*
*Ducent vulnera turmas.*
*Tunc feralis Enyo*
*Nota ludet arena,*
*Et tranſibit in orbem*
*Diro teſſera ſigno.*
*Heu! impreſſa volabunt*
*Tetris labara echidnis,*
*Summo vndantia conto.*
*At tu nobilis Amnon,*
*Multis flebilis olim,*
*Vano ludis in oſtro,*
*Aut in flore caduco,*
*Dulces inter Amicos,*
*Crebro inſtante culullo,*
*Bacchi pocula libas,*
*Et læta ocia ducis.*
*Non te lurida Thamar,*
*Caſti nuda pudoris,*
*Non te inceſta libido,*
*Tantis empta periclis,*
*Mentem aduertere cogunt?*
*Et nunc imminet hoſtis,*
*Et te lubricus enſis*
*Certo vulnere figet,*
*Latè viſcera ſcindens.*
*Nec te vinula Cypris*
*Tutis proteget armis,*
*Non te purpura viuo*
*Ardens murice, non te*
*Claræ ſtemmata Gentis.*
*Debes omnia morti,*

*Quæ*

*Quæ te paſſibus æquat*
*Longè peſſima Erynnis.*
*Heu me! crebra dolonum*
*Inter verbera ſpecto*
*Tinctos ſanguine riuos*
*Diram ſpargere menſam!*
*Heu committere potos*
*Illætabile bellum!*
*Heu me! Dauide natos*
*Totis feruere campis,*
*Et vitare tumultum*
*Semper flebilis auſi!*
*Heu! quòd nulla relicta*
*Reſtat gratia fratri!*
*Qui tot vulnera debet,*
*Sæuo vulnera ſtupro*
*Quot complexibus olim*
*Ægram ſtrinxit Amicam.*
*Eheu! occidit Amnon*
*Semper flebilis Amnon,*
*Et decreta bonorum*
*Stat ſententia Diuûm,*
*Certis abdita fatis,*
*Qui libramine iuſto,*
*Etſi lædere tardi,*
*Semper crimina plectunt.*

ACTVS

# ACTVS IIII.

## Dauid, Abſalomus.

*Ex quo Gethæum, numine haud vano, ducem,*
*Vaſta Gigantem mole proſtraui ſolo,*
*(Quando profanam myſticis harpen tholis,*
*Conum, aſpidemq́, & baltheum inſignem notis,*
*Opima ſpolia patrio retuli Deo)*
*Me pectus implet maſculum, & gnauus vigor,*
*Et ſemper aliquid Martium genio placet.*
*Hinc mille per diſcrimina, & rerum vices,*
*Et cruda Soceri tædia, & longos dolos*
*Iudæa ſceptra ſorte diuina tuli.*
*Nunc vero nulla cura me vexat magis,*
*Quàm quæ ſubactam reſpicit Gentem meam,*
*Aut cara tangit pignora, huc inſtat labor,*
*Huc opus, vt olim purpuram dignè gerant*
*Sacrumq́ lituum rite ſubmittant Deo,*
*Inſigne capitis regium, & ſellæ decus.*
*Ille inter aſtra flammeo nixus throno*
*Nutu gubernat omnia, & Regum Pater*
*Torquet ſerena nubila, aut nimbos quatit,*
*Et dura tantùm pectora obliquus ferit,*
*Nec dirimit humiles fulmine aut igni preces.*
*O magne rerum Genitor! ô mundi arbiter!*
*Serua nitentem hanc purpuram, ſceptrum rege,*
*Et filiorum examina, & focum, & larem,*
*Et quicquid humeris vndiq́ incumbit meis.*
*Tibi refundo hæc omnia, & numen tuum*
*Supplex adoro; ſcilicet nunquam dolet*
*Quemcumq́ ocelli florido nutu beas,*
*Hilariq́ vultu ſoſpitas, manu foues.*
*O parce Genitor! parce, & ærumnam leua,*
*Quam noſtra geminant crimina, & noxæ grauant.*
*Heu me! quod vnquam hoc excidit nato mi*
*Qui longa in æuum labe reſperſit genus*

*Et ſtemma noſtrum, Veneris inceſtæ reus!*
*Cur non amores vertit aliorſum ſuos?*
*Cur luſit vnquam ſanguine infœlix meo?*
*Vt deperiret virginem agnatam ſibi,*
*Et raperet, & fœdaret amplexu ſacro?*
*Quam metuo, ne efficaciter tandem luat,*
*Et aliquis intra viſcera hoc quærat nefas.*
*Non ſemper auido fulmine inuadit Deus,*
*Nec ſemper ipſo in limine abrumpit ſcelus,*
*Exſpectat vſq;, & vſq;, nec parcit tamen,*
*Et ſi obſtinatos viderit, tandem ferit.*
*Nunc ergo, ſiqua gratia à cælo venit;*
*Et ſi qua pietas imperat tecum Deus,*
*Ignoſce Iuueni, Lubricam ætatem vides,*
*Et ire pronam, blanda quò lactat venus,*
*Aut genius acer turbat, arridens malo,*
*Et ſemper audax perpeti, & facere nefas.*
*Et me Venereus ille næuus tranſiit,*
*Heu me! quod vnquam potuit! & thalamum impudens*
*Miſeri Clientis ſanguine impleui & ſtupro:*
*Auerte noxam Domine, ſupplicia accipe;*
*Et ſemper vdas lacrymas, toti ſinus*
*Implentur iſtis, luridam ærumnam vides,*
*Maciemq;, & ægri pectoris curas graues,*
*Et quicquid animum mollit aut lenit ſcelus.*
*Peccaui! & an diffitear? & crimen meum eſt,*
*Quod fecit Amnon, publicum exemplum dedi,*
*Et Bethſabæa ſtrauit inceſto viam.*
*Ignoſce miſeris, ſi tamen nec flecteris,*
*Et impiato deſtinas Orco reos,*
*Me ſterne toto fulmine, abſolue alterum,*
*Et capite in vno vindicem exerce manum,*
*Vt viuat Amnon obſecro, & meliùs regat*
*Geſtamen iſtud, inclytum imperij decus,*
*Et ſemper vnum defleat, nullum ſcelus*
*Inſtauret, & periculo ſapiat meo.*

*An fallor?anne huc Abſalom tendit gradum?*
*An rurſus adfert crimina, & Fratrum dolos?*
*Heu me!quid iterum parturit nati venus?*
*Quid nunciat rurſum Abſalom?* Abſalom. *Salue Pater:*
*Saluete Proceres.* Dauid. *Fare, quid vis Abſalom?*
Abſal. *Hærere primùm liceat in collo Pater,*
*Et ſtringere iſta genua, & amplexum tuum.*
Dauid *Quid ille poſcit ambitus?* Abſal. *Pauca obſecro.*
*Tondentur agnæ Genitor in villis meæ,*
*Si ruſculum, ſi vernus hic annus placet,*
*Dulces ſuſurri nemoris, & campi nitor,*
*Et murmur auium, & lenè currentes aquæ,*
*Et cornu amœnum copiæ, & puri Dies,*
*Diuerte, turres regias muta ſemel,*
*Et pluſculum auræ liberæ, & tenuis bibe.*
Dauid. *Fruſtra peroras Abſalom, magnum eſt onus*
*Rex, & Clientum turba,* Abſal. *Quid reſtas Pater?*
Dauid. *Nolo moleſtus eſſe.* Abſal. *Non eris Pater;*
*Concede Nato.* Dauid. *Parce, nequicquam facis.*
Abſalom. *Vt liceat ergo Fratribus ſaltem rogo,*
*Vt veniat Amnon.* Dauid. *Scilicet.* Abſal. *Frater meus*
*Vt veniat Amnon, ducat vt carum gregem,*
*Et tot meorum pectora vt liceat mihi*
*Diſſauiari.* Dauid. *Laudo amorem candidum.*
Abſalom. *Sed veniat Amnon.* Dauid. *Amoue iſtam dexteram.*
Abſalom. *Vt Frater Amnon veniat actutum obſecro,*
*Vt bibat in hortis dulce temetum meis,*
*Vt auſpicetur prandium, & largas dapes,*
*Quas ferme incomptas ruſculi vbertas tulit.*
Dauid. *Concedo Nate.* Abſal. *Gratulor, præda eſt mea,*
*Et capta noſtras belua intricat plagas,*
*Bene eſt, tenetur, claudet hic miſſus aper.*

Chorus.

## Chorus.

NVLLA *vis tantas agitat procellas,*
*Vt nihil Phœbus radio moretur*
*Nubila, aut pullas hyades, vel hœdos*
*Lucifer puro rutilans in oſtro.*
*Sæpe cum cælo tonuit ſubacto*
*Iupiter, telum quatiens triſulcum,*
*Mitius ſudum ſequitur fragorem,*
*Mollius vernant Zephyri per agros,*
*Et breues inter violas ſtrepentes,*
*Aut graues thymbras, animas ſuaues*
*Vndique inſpirant, & amica caſtis*
*Mella diffundunt apibus, maritant*
*Herbidos fœtus, & amœniores*
*Graminis hortos:*
*Sæpe cum furuum ſtetit omne cælum,*
*Et putri cinctum nebulâ, repentè*
*Aureus Titan micuit per vmbras,*
*Et citò hiberni poſuere venti.*
*Abſalom vultu placidus ſereno*
*Regios ſtringit Proceres & ambit.*
*Læta frons ſpondet niueos amores,*
*Spondet an fingit magis? & ſub iſto*
*Vinulo aſpectu ſcelus inquietam*
*Nubilat mentem, veluti comantes*
*Igneus ſerpens latet inter herbas?*
*An ſatis diri ſceleris peractum eſt,*
*Et ferox Amnon cupidas Erynnes*
*Virginis ſtupro ſatiauit vno?*
*An nihil reſtat magis expiandum?*
*Parcite o Diuî, metuo periclum,*
*Et nouos iræ veteris tumultus,*

*Scutaq; & nudos gladios, & haſtas,*
*Et tubam, & Martis fera ſigna; nunquid*
*Excidit Thamar Iuueni ſuperbo?*
*Nunquid inceſtum ſcelus, & perennes*
*Lacrymæ ſemper memoris puellæ?*
*Non bibit Lethen dolor ocioſus,*
*Et ſitibundam rabiem medullis*
*Nutrit, & nunquam ſatur eſt, & olim*
*Suſcitat ignes.*
*Blanda frons, dulces oculi, ſereno*
*Riſus obtutu ſimulare poſſunt*
*Omnia, & nutu lepido venenum*
*Condere abſtruſum, rabiemq; & atro*
*Felle diſtentum vomicæ tumorem.*
*Filius Neri, generoſus Abner*
*Inter amplexus medios, & inter*
*Verba fucata ſpecioſa linguæ*
*Inguine abrupto cecidit peremptus,*
*Credulus cauto nimium Ioabo,*
*Quem pio luctu populus dolentum*
*Næniæ longa tumulat querela.*
*Tunc inexpletum queribundus altos*
*Traxit in leſſum gemitus, & vdis*
*Impigros manes lacrymis obiuit*
*Rector æternæ, dominuſq; Gentis,*
*Et gener duri placidus Saulis,*
*Et vale longum generoſe dixit*
*Et vale longum generoſe miles,*
*Fata non vinctis manibus tuliſti,*
*Vt ſolent Martis tumidi Clientes,*
*Vt ſolent Reges alacri duello,*
*Cum ciet pugnam ferus æneator,*
*Et tubæ latè ſonitum dedere.*
*Saruiæ natos cruor ille damnat,*
*Sanguinem, luctum lacrymas refundet*
*Noxa crudeles habitura diuos.*

*Dixit*

*Dixit, & ſummo gemitu litauit.*
*Nec minus peccat tamen, & doloſo*
*Crimine inſanos properauit auſus;*
*Caſtus Vrias, Dominæ inquietem*
*Paſſus, & lecti ſcelus impudici,*
*Notus in Reges animi fidelis,*
*Principis vultu meliore captus*
*Sanguine incœſtat miſero penates*
*Regios, & te vaga Bethſabee*
*Damnat æternum ſceleris pudendi,*
*Cæſus ad Rabbam glomerante bello,*
*Dauidis noſtri ſcelere & paratu,*
*Quem Deus longos tueatur annos,*
*Noxæ vt integrum ſceleriſq; iuſſit*
*Tollere abiectos animos & vdis*
*Semper oppreſſos lacrymis ocellos.*
*Heu! quot attraxit gemitus profundos!*
*Quidvè non dixit miſer, aut peregit,*
*Quando nocturnas acuens querelas,*
*Fletibus lauit thalamum profuſis,*
*Aut acri dorſum ſubigens flagello.*
*Ilicò noxam grauioris auſi*
*Vndiq; terſit.*
*Non ita infœlix reparauit Amnon*
*Nobilis ſtupri ſcelus impiatum,*
*Cum dolo morbum ſimulans, pudorem*
*Virgini extorſit nimium querenti,*
*Et breui ludo ſatiatus, ægri*
*Pectoris faſtu repulit dolentem.*
*Crimina & fraudes meditantur Aulæ,*
*Et pios quamuis dominos adorent,*
*Neſcio quanam ratione fallant*
*Semper aut ludant genio maligno.*
*Abſalom certè nimiùm profuſus*
*Gratiæ & blandi nimiùm leporis,*
*Callido nunquid gremio dolorem*

*Nutrit & cacos renouat tumultus?*
*Nunquid inſtaurat ſcelus & aborem?*
*Suſpicor, diro grauidas veneno*
*Pandet Erynnes.*
*Parcite ô tandem Superi precamur;*
*Abſalom faſtu poſito quieſcat,*
*Leniat Thamar veterem querelam,*
*Nec ſuos manes ferat inſolenter;*
*Impudens Amnon, ſcelerum repertor*
*Virgines nunquam repetat pudicas;*
*Et pij natos ſtudium parentis*
*Soſpitet omnes.*

## ACTVS V.

### Dauid, Ionadab, Nuncius, Filij Regis.

Dauid. *NEſcio quid hoc ſit, mæreo, & libet queri,*
*Et ſponte lacrymis humidi turgent ſinus,*
*Neſcio quid intus agitet inſanus dolor,*
*Me reſpicit tamen ſalus, & publica, &*
*Priuata nutu proſpero inſtaurat Deus.*
*Nati inter epulas mutuo amplexu calent,*
*Et paribus animis lene temetum bibunt*
*Aut inter vmbras florido accubitu ſedent,*
*Et fabulis ſecura ducunt ocia,*
*Laruæ inquietant interim pectus meum,*
*Et mille per vaſanias torquent caput.*
*Quid hoc malorum eſt Ionadab?* Ionadab. *Vanus timor*
*Sæpe angit animum.* Dauid. *ſæpe præſagum mali*
*Pectus dolores ſenſit ante ictum ſuos.*
Ionadab. *At ſæpius ludibrio totum fleuit,*
*Quod turbat intus viſcera aut mentem rotat.*
Dauid. *Auertat omen placidus à nobis Deus,*
*Et ſeruet iſtam purpuram & Natos meos.*
Ionadab. *Læti ſub vmbris garrulos miſcent iocos.*

Dauid. *At ſæpe lepidos iurgium mutat ſales.*
Ionadab. *Fratrum inter epulas?* Dauid. *Sapè fraternus furor,*
*Facili excitatus nauſeâ, ſtragem dedit.*
Ionadab. *Vino licebit lauere, ſi quid nauſeat*
Dauid. *Bacchus furorem inſtillat, atq; hilares ſcyphos*
*Turbat frequenter.* Ionadab. *Barbaris iſte eſt modus.*
Dauid. *Sæpe & Iuuenibus, dum calent animi mero,*
*Et largus iſte ludit in venis tepor.*
*Sed ecquis ille turbido currens gradu?*
*Heu me! quid adfert? lacrymat! pallet, ſtupet,*
*Defixus hæret.* Nunc. *hei mihi!* Dauid. *quid nuntias?*
*Quid expaueſcis?* Nunc. *filios omnes tuos!*
Dauid. *Heu! heu! quid illos?* Nunc. *filios omnes tuos!*
Dauid. *Heu me! quid adfers? filios omnes meos?*
Nunc. *Crudelis hauſit gladius.* Dauid. *O Superi!* Nunc. *Tuus*
*Omnes peremit Abſalom.* Dauid. *Perij quoque.*
Nunc. *Omnes meraco languidos Iuuenis ferox*
*Oppreſſit, & ferro obuios letho tulit.*
Dauid. *Nullus meorum ſuperat?* Nunc. *Vnus Abſalom,*
*Diri arbiter ſpectaculi.* Dauid. *Haud ille eſt meus.*
*Hoc ergo ritu regias celebrat dapes?*
*Sic ille ſtringit oſcula? Amplexus fouet?*
*Nec habuit, vnde munera aut ludos daret*
*Aliunde? vere nobiles miſſus dedit.*
*Omnes peremit Abſalom!* Ionadab. *ſi credere*
*Fas eſt.* Dauid. *& vnus Abſalom omnes tulit.*
Ionadab. *Credo quod Amnon ſolus extinctus iacet,*
*Alij ſuperſtant.* Dauid. *Abſalom omnes tulit!*
Ionadab. *Illum ſorori victimam miſit ſuæ,*
*Quo nomine alios?* Dauid. *Abſalom omnes tulit,*
*Nimis cruentus Abſalom!* Ionadab. *Parce obſecro.*
*At ecce natos video confertim tuos*
*Glomerare curſum.* Dauid. *Nuncquid Amnonem vides?*
*An inter illos aliquis eſt Amnon meus?*
Filij. *Hei Genitor!* Dauid. *heu me! filii!* Filij. *Pater! Pater!*
Dauid. *Sed eccubi Amnon, eccubi eſt Amnon meus?*

*Vbi hæret* Amnon?Filij:*Genitor*! Dauid.*an' ſuperat tamen?*

Filii. *Illum inter epulas Abſalom*. Dauid. *quid Abſalom?*

*Quid inter epulas Abſalom?*Filij.*noli magis*
*Vrgere Pater; Illum inter epulas Abſalom!*
*Heu inter epulas Abſalom!* Dauid. *Illum Abſalom.*

Quid *ille*?Filij.*diro Barbarus ſtrauit modo.*

Ionadab.*Diriguit ecce penitus, atq; inter ſuos*
*Collapſus, ægro viſcerum motu ſtupet.*

Dauid.*Ergone certum eſt?occidit?letho occidit?*
*Vino ſepultus occidit? quis vulnera*
*Lauit?quis oculos clauſit aut vnxit tuos?*
*Quis collocauit marcidum in roſâ caput?*
*Artus in oſtro?quis dedit violas ſuper*
*Et lacrymas?quis næniam & leſſum intulit?*
*Et penitus hauſto murmure incubuit tibi?*
*Nate! ô voluptas vnica! ô robur meum!*
*O dulce columen generis! ô regni decus!*
*O cara ſoboles! dulce præſidium meum!*
*Vbi te requiram? ſcilicet nunc Abſalom*
*Ducet me in hortos, ſcilicet nunc Abſalom,*
*Fratrum tyrannus Abſalom, peſtis, lues!*

Ionadab.*Obſtupuit iterum, non capit modum dolor,*
*Heu me! quis illum vendicet nobis deus,*
*Sceptriſq; reddat? ô Deus! ſerua ducem.*

Chorus.

## Chorus.

*NEſcio quali ſidere, vel quo*
*Numine diuûm Lubrica Regum*
*Purpura ſemper ſanguine ſtillat,*
*Nec ſatis vno murice pota eſt.*
*Fratrem alterno crimine vicit,*
*Qui Geſſurâ Coniuge natus*
*Implet trepidas ſanguine menſas,*
*Et ſecurum violans Genium*
*Inter cyathos vulnera quærit.*
*Quis lio Superi talia vidit?*
*Aut quis fecit talia lictor?*
*Tunc cùm vino languidus iret*
*Et ferueret crapula, ſenſit,*
*Gelidos intra viſcera cultros*
*Hauſtis laterum cratibus Amnon,*
*Nec pruis ægros ſuſtulit oculos,*
*Quam Tænaream cerneret ollam,*
*Et Cocyto mergeret artus*
*Longum inceſti criminis hæres:*
*Hac temetum mercede bibunt,*
*Qui neglecto temporis vſu,*
*Et contemptis omnibus horis*
*Aut in violis aut in myrto*
*Marcida ſegnes vina coronant.*
*Tunc cum purò liquitur hauſtu*
*Bacchus lepida ridet in vrna:*
*At cum bibulam farſerit aluum*
*Figit dentem more colubri,*
*Mentemq́ſua ſtatione mouens*
*Obruta latè viſcera ſcindit.*
*Baccho abſtinuit, quiſquis ſapiens*
*Mundi incerta ſudat arena,*
*Et ſe ſtudio macerat acri.*

 *Nemo*

*Nemo hos latices impunè libit;*
*Noach ſuperans omnibus vndis,*
*Nondum noto læſus Iaccho,*
*Nimiúmque mera proditus vua*
*Picto iacuit nudus in oſtro,*
*Tota(indignum)pube retectus.*
*Lotus trepidis liber Sodomis,*
*Ille Angelico numine ductus,*
*Et ſecuro clauſus in antro*
*Cum libaret dulce meracum*
*Crebrò geminans vina culullo,*
*Heu! concepto protinus igni,*
*Implet geminas fœtus alumnas,*
*Et viroſos ſeminat hydros,*
*Digna incaſto germina lecto.*
*Tum quoq; Nabal Ruſticus amens*
*Tot camporum ſordidus hæres,*
*Et Carmelo indignus, & illâ*
*Coniuge; quam nunc Regia adorat,*
*Quam connubio iunxit propriam*
*Noſtræ Solymæ ſeptuchus herus.*
*Ille immenſo captus Iaccho*
*Inter notas ſibilat agnas;*
*Mox in tonſo vellere ſtratus*
*Vino grauidam diſſipat animam;*
*Et purpureo flumine ructat.*
*Potat muſti dulce venenum*
*Quiſquis neſcit parcius uti,*
*Teloq; magis ſæuit acuto*
*Clauſa anguſto crapula ſtomacho,*
*Et ſe partes vexat in omnes.*
*Fœlix animi, quem nulla iuuat*
*Indigeſtæ Mattya cœnæ,*
*Ridetque magis caſto in thalamo*
*Mundi accubitus vile ſalinum,*
*Aut potus aquæ, quam de gelidis*

*Verna pudicus fontibus hauſit,*
*Aut ſi mauult, hilari cyatho,*
*Quas ipſe ſuis legit manibus*
*Non immodicas imprimit vuas,*
*Semperq́ ſibi conſtat & animi*
*Integer, aureos exigit annos.*
*At tu infœlix optime Regum,*
*Quem non vno funere mactat*
*Buſtum miſeri flebile Nati;*
*Quis enim tanto modus in luctu?*
*Lacrymat, queritur, poſtulat, vrget,*
*Et ſe affectus mutat in omnes;*
*Et nunc obiens triſte cadauer,*
*Votis ſuperos inuocat æquos,*
*Et ſe inſanis queſtibus explet,*
*Si forte velint; ſed eum caſſo*
*Murmure luget, nec reſpondent*
*Omnibus æqui votis Superi.*
*Ergo luctus integrat amens,*
*Aut fractis ſingultibus hærens,*
*Animæ viduos occupat artus,*
*Et cum lacrymis oſcula figit.*
*Quid te exagitas maxime Regum?*
*Fruſtra pius es, nec ſuppliciis*
*Flectitur vllus impia Clotho.*
*Sed nec fletus audiet iſtos*
*Durus miſeræ Frater Thamaræ,*
*Heu! cui leſſum debes alium,*
*Et lamentum nobile, quando*
*Toto fugiens æquore campi,*
*Mulæ picto tergore ſidens.*
*Intricatus fortè capillum,*
*Dirum è quercu pendebit onus,*
*Et tergemina cuſpide fixus*
*Soluet ſtolido pondere terras,*
*Omnem natus perdere frugem;*

*Hoc*

*Hoc Saruiadæ lancea debet.*
*Aliò lacrymas flectite veſtras*
*Mœſtæ Iſacides;plangimus Amnon,*
*Plangimus eheu! plangimus eheu!*
*Et tibi noſtræ ſtillant lacrymæ.*
*Plangimus Amnon,plangimus Amnon,*
*Et tibi crinem ſoluimus omnes;*
*Aut ſi mauis vertice tonſo*
*Nos exequias ire dolentes,*
*Accipe crines, accipe lacrymas,*
*Accipe crines, accipe planctus*
*Fuſco violas murice tinctas,*
*Et ſupremo funeris actu,*
*Rorida gelidis oſcula labris.*
*Plangimus Amnon; plangimus eheu!*
*Et conſumpto denique luctu*
*Hunc tibi leſſum claudimus, eheu!*

FINIS.

R 359627

1084. 25

13

MAR. 25

Mc